

NOVELLA

EQVITIS POLONI

AD EQVITEM POLONVM
FAMILIAREM SVVM.

RELLATIO

DE ECCLYPTICO LVNÆ AC STELLA-

*rum Phenomeno per Chronographicum Tubum
de WZDOL tumultariè obseruato.*

EQVES POLONVS

EQVITI POLONO

S. P.



Ro veteri nostra vltro citroque scribendi
ca, quæ apud nos occurrunt consuetudine,
dum ex amicis varia suscitando materiam
vestigarem, deq; pestilentia lue, hinc inde
erumpeate, sermo serererur: adiecit nonnemo fa-
mam de Dra cone stellas glutiente: Subrifimus ad
attellanam. Tum interpres Fabellæ me manu appre-
hensum, ad rem authenticè cognoscendam, in arcem
Sandomiriensem ducit.

Peragebantur istic iudicia præsidente Illustrissimo Domino Comite à WISNIEZ LUBOMIERSKI Sandomiriensi & Supremo stabuli Regij Præsecto in frequenti Nobilitatis concursu: venimus cum iam planè a subselliis abiretur, & ecce quispiam Chronographiam recens Cracouiæ eusam offert Primariis inspicendam. Res prorsus noua: horridæ Hemisphærij nostri præcipuis luminibus circumfusæ tenebræ. Densi næui Sapientissimo, Inuictissimo, Piissimo Regi SIGISMUNDO III. inspersi toti mundo deteguntur. Felicissimo Domino nostro Clementissimo VLADISLAO IV. tenebrosa opinio Comitialis morbi ac hæreseos appingitur. Serenissimo Principi CASIMIRO melancholiæ nebula ex captiuitate Gallica per Chronographum euocata, quasi vitæ monasticæ (vt ille latinæ phrasis emunctus haberi vult Aristarchus) origo offunditur. Augustissima, Catholicissimaque domus Austriaca suspicionibus odiosissimis palam, præsumptuosè, temerariè, maculatur, inuidiæque totius mundi propiniatur. A quo proposito Chronographum sola tantorum Monarcharum, Regum, Principum, augusta Maiestas detertere debuit; Sanè me ipsum cohibet, ne temeraria eius verba hic apponam. Non deerunt Credo, qui petulantiam styli vindicabunt, nec patientur impunè nimis audaci & effusè libero Chronographi calamo, summos meritissimosque in hoc Regno Viros ZA-

MOVSCIOS, ZOLKIEVIOS, ZBOROVIOS, POTOC-
GIOS, LIPSCIOS, aliosque complures laceffitios, im-
porturè, ac parum verecundè nullo operæ pretio per-
strictos.

Verùm Sendomirienses Nostri in Arce tunc libe-
ris vocibus indignationem suam exaggerarunt, in sugil-
lationes Chronographi contra suum Ciuem plurimis
affinitatibus in his Territorijs deuinctum, antiquæ Pro-
sapix Virum ANDREAM BOBOLAM celebrem Re-
gni Succamerarium, morosè acerbeque contextas, le-
gebant fremebundi illam periodum. Sub finem An-
ni 1616. scabiosa prurigine nulla prouocante occa-
sione effusam.

*Decefferat quoque Cubiculi Regis Præfectus A N-
DREAS BOBOLA Oelogenarius, homo rudis, mora-
sus, promotus ad illud officium patrocinio Sacerdotum
Societatis IESV, quod illis in omnibus consentiret.*

His lectis, erupit, Nobilitatis murmur, eorum præ-
sertim qui cùm vetustissima BOBOLARVM Familia
sanguinis affinitatisque vinculis deuincti sunt, quod tan-
tus omnium iudicio Vir, tantoperè quo ad vixit omni-
um proborum erga se studiis cultus, multis præclaris
laudibus post mortem celebratus, in cuius actionibus

ante obitum non habuit Chronographus quod carperet, immò ipsum cum alijs summis Viris summè venerabatur, nunc maledicentiæ intemperijs & iniquissimis velut probris famam eius integerrimam infuscare ausus esset. Hac occasione progressi sunt, multa musitantes ad eruendum ex ruderibus antiquitatis Chronographi Stemma, Patriam, natales de Wzdol villa sub ciuitate Bożęczyn sita Chronographi eiusque germani fratris Nobis benè noti nidulo, parente ipsorum in eadem villa sculteto, Matre Nobili quidem Gromacka nuncupata, sed post lapsum extra cancellos pudicitiae, denique illi sculteto in coniugem data. Sic illi ex doloris an veritatis dictamine, non sit meum decernere, pleraque vulgarunt.

Cæterum Illustrissimus Arcis Præfectus retracto ad Succamerarium Regni BOBOLAM sermonis filo, dixit se tunc primum illa insulsissima opprobria audisse, cum antea nonnisi præclara quæque de laudibus tanti viri ab omnibus Regni nostri ordinibus dici audierit.

Poterant Sympatriotæ nostri hoc viri Principis Epiphonemati acquiescere: nequaquam tamen desierunt rudem Chronographi maledicentiam & temerariam incogitantiam hac atque illac versare. An ideo

ANDREAS BOBOLA rudis, quia neminem vnquam
ita petulanter ac temerè, vt Chronographus plurimos
perstrinxit? An rudis, quo Reges AVGVSTVS, HEN-
RICVS, STEPHANVS, SIGISMVNDVS III. in graui-
bus negotijs fidenter vsi sunt? An rudis, qui Camera
Regiæ vltro à SIGISMVNDO præfectus, in ea cum di-
gnitate & omnium laude quasi Pototypon huius Præ-
fecturæ, permansit? An rudis, qui Moschicas,
Sueticas, Liuonicas res ipsomet Chronographo atte-
stante tractarit?

An morosus quia fuci & fallaciarum expertus? quia
synceri diuini honoris, veritatis, sobrietatis, longami-
nitatis, aliarumque virtutum cultu egregius? à corrup-
tionibus, varijs Politicorum practicis alienus? An mo-
rosus cuius alloquium Principes in Regno viri Episco-
pi, Senatores, bellatores, Docti, Homines, optimè de
Republica meriti summi æque ac infimi in extrema e-
tiam senectæ expetierint & mensæ eius accumbere
pro omni felicitatis habuerint? quem Duces de ZBA-
RASZ ingenij perspicacia, dexteritate, potentia, in Re-
publ. nostra celeberrimi familiarem sibi esse voluerunt
& non vulgari beneuolentia obseruarunt? Cui Reges
altiores honorum gradus, maximè SIGISMVNDVS, vl-
tro sapius obtulerunt, non ex promotione certè Iesuita-
rum, sed ob ipsius tot Regibus à tot annis probatam

virtutem. Et qui ceteros summos quosque viros, illis ab eo expetentibus, ad eosdem honorum gradus, etiam Senatorios, permouebat, quomodo Iesuitarum promotione ad Regiam Cameram intrauit? Rude, sane, morosum, falsum Chronographi iudicium; quin & praesumptuosum nimis; cum & pertinacis imprudentiae SIGISMUNDVM III, Regem sapientissimum, & ab exteris nationibus ob maturitatem iudicii Regem Regum nominatum laceffit, quòd BOBOLAM tanti aestimaret, in delicijs haberet, vt eo vita functo coram Senatoribus affirmarit, se Succamerarium alterum facile, alterum BOBOLAM difficulter (quòd etiam Serenissimus Noster VLADISLAVS IV. me audiente repetiit) inuenire posse.

Ipsemet Chronographus & rudis & morosus, qui ultra crepidam sapere tentans, laudatum post funera a laudatissimis incessere ausus est, sequè opponere antiquissimæ & Illustrissimæ WOŁOWICIORVM Familiae, cuius eximium sydus Illustrissimus EYSTACHIVS WOŁOWICZ, Episcopus Vlnensis, funebrem de præclarissimis BOBOLÆ virtutibus concionem à Patr. MATTHÆO BEMBO, viro doctissimo, Concione Rege pronunciatam sua lima cultam, suo sumptu in lucem edi curauit; Qui celebris in nostro Regno Historici BARTHOLOMÆI PAPROCKI de ANDREA

BOBOLA eximia encomia posteritati tradita subuertere ausus est.

An non rudis, & morosus Chronographus, qui homo nouus è latebris Wzdotensibus non modo lunam stellasque BOBOLIANAS vetustate stirpis cimelia à tot annorum centenarijs in Regno nostro lucetia, sed etiam Reges, Principes, Senatores inaniter, pro visu nullo ausus est sua temeritate proscindere?

Hæc & multa similia Nobilitas indignabunda ex Arce digressa deinceps per sua hospitia in congressibus ingeminando, sinistri aliquid Chronographo ominabatur, asserens non posse inultum esse qui eo natus loco temerariè quæsiuit ansam Summorum Principum & Vitorum, Religionis, virtutis, doctrinæ, integritate, celebratorum facta, perperam interpretari, immo in multis locis suæ Chronographiæ Heræticis velut conductus patrocinari videtur, quasi ipse solus supra omnes sapiat & exactam sit adeptus virtutem, quam nimis nosse dicentur ipsius Monachi Clarotumbani ab eo iniquissimè ac peruicacissimè vexati. Hæc tibi pauca ex multis amicorum intime, communicanda habui. Illi viderint, Tu viue & vale.

